Quelle: https://manuscripta.at/?ID=26122
Copyright: Admont, Benediktinerstift



In his primus erat plutarchus. de quo paulo superius memo
rauimus. Quem cum uidisset populus ad mortem duci. et assistere ei
origenem. qui hortatu suo ad magnanimitatem animos eius
erigeret. uelut mortis eius auctorem. discerpere eum pene et in
terficere uulgus irruerat. nisi et tempore diuine prouidentie ef
furentum manibus fuisset ereptus. Post plutarchi martirium.
secundus ex origenis discipulis martir efficitur serenus. tercius ex eius ni
chilominus auditoribus heraclides martirio coronatur. quartus heros
neophitus. nam superior serenus adhuc catecuminus consummatus est.
Quintus eiusdem scole martir efficitur alius nomine serenus. qui post multa
supplicia pro xpo etiam capite plexus traditur. v.

Sed et mulieres plurime in quibus hera quedam catecumina
de qua ipse in quodam loco ait. quod ignis baptisma consecuta
sit. sed et potamiena famosissima feminarum et martirum. et
ipse eius carnifex basilides. Certe enim in nostram usque memoriam
ab incolis loci perennis uirtutum potamiene fama celebratur.
quod per inmensos et innumeros agones. primo pro uirginitate
et pudicicia desudauerit. deinde etiam pro martirio exquisita.
atque inaudita tormenta pertulerit. atque ad ultimum una cum
uenerabili matre marcella ignis suppliciis consumata sit.

Tradunt igitur aquilam. hoc enim erat tyrannici iudicis
nomen. post ea quam crudelibus eam suppliciis lacerauerit.
ad ultimum ob iniuriam et nobilitatis eius et castitatis commi
natum esse potamiene. quod eam uel crudelissimis gladiatoribus.
uel inpudicissimis lenonibus traderet. at illam cum ab ea quid
mallet. uel quid eligeret quereretur. pertulisse ad uersum tyrannum.